

78. Ad utrumque cavillum respondet Apologia. 1. Verba ista non ἐνέργειαν, sed naturalem potiùs notare ἀδυναμίαν, impotentiam, qua prepediti ne quidem DEVM timere, eiq; fidere possimus: ita quidem, ut non de actionum vitiosarum presentiâ, sed potiùs de bonarum, quæ adesse debebant, absentia & σερήσι locutio istæ sit accipienda. Quemadmodum sanè Exemplar Germanicum satis dextrè hoc explicat: ipso ex pontificijs Confutatoribus attestante Iohanne Hoffmeistero. Vide Harm. Fabr. pag. 25.

79. Deinde, quoad Locum Mosaicum, quem prorsus impertinenter in Comitijs huc accommodârunt confutatores: manifestum est, DEVM in infantibus nequaquam natura bonitatem, sed ætatis tantùm conditionem commendare, quæ licet culpa actuali eo modo, quo in adultis, careat: ipsum tamen defectum virium, quæ hæc præstare debebant, non tollit: sed necessariò præsupponit. Siquidem Culpe Actuales, non nisi Originalis contagij sunt Effecta, Vbi ergò Metus DEI, & fiducia erga DEVM non præstatur, ibi culpam Originalem ceu fontem subesse, indubium est Consequens.

80. Definitionis ergo nostræ stante veritate, quanta sit peccati Originalis fœditas & atrocitas, liquet, tanta nimirum, ut lucem Sapientiæ & agni-

& agni-